



1711 187296 60 pignori data

Sammelblatt!

D 152

L

41.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
DE  
**NECESSITATE**  
ET  
**EFFICACIA PRECVM,**

Q V A M  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO  
**GVILIELMO HENRICO**

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,  
ANGARIAE WESPHALIAEQVE ETC. ETC.  
INCLVTI ORDINIS PHILOSOPHICI

INDVLTV  
IN ACADEMIA IENENSI  
**PRO LOCO**

IN EODEM ORDINE  
MORE CONSVENTO  
OBTINENDO  
PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI SVBMITTET  
P R A E S E S

**M. GOTTLIEB STOLLE**  
LIGNICENSIS SILESIUS  
VOCATVS DIRECTOR GYMNASII HILDBVRGHVSANI

RESPONDENTE

**Gottlieb Wilhelm Keller/**

VRATISL. SILES.

ADD. NOVEMBR. AN. 1713 XIII.

---

I E N A E,  
LITERIS MULLERIANIS.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

ETIENNE CHAPUTA  
MAGISTER ET DOCTOR

ETIENNE MAGISTER ET DOCTOR

ETIENNE HENRICO

MONTIVARIA

ACADEMIA BRUNNENSIS



ETIENNE HENRICO

ACADEMIA BRUNNENSIS

ETIENNE



## PRÆFAMEN.

*D*issertatio ante triennium habita de virtute precibus impretranda historica magis fuit, quam dogmatica: quamvis enim §. I. ostensum sit: Virtutem a Deo utique petendam esse, obiter tamen hoc factum est, cum totius differentiationis scopus is fuerit, ut monstraretur non, defuisse ipsis inter gentiles, qui virtutem a numine impretrandam esse agnoverunt. In praesenti itaque disputatione & necessitatem & efficaciam precum philosophicis rationibus stabilire, eamque ab objectionibus quorundam philosophorum vindicare conabimur, quod ut feliciter fiat, Deum non minus naturalis ac revelatae veritatis auctoritatem sincera mente precamur atque rogamus.

A 2

CAP.I.

## CAP. I.

DE

*Necessitate & efficacia Precum.*

I.

**P**reces vocamus desiderium boni ad Deum directum: necessarias eas esse dicimus, quod sine iisdem nemo vere beatus fieri poscit: efficaces autem, quia Deus nihil praecipit frustra.

II.

Preces desiderium esse dicimus, loquimur enim de veris precibus, non de fictis, quæ mera verba crepant. De his notissimum est proverbium:

Dum cor non orat, nequicquam lingua laborat.

Quo maius itaque in precante desiderium deprehenditur, eo veriores ejus preces putamus. Verba quidem ab oratione nec abesse jubemus, neque tamen eadem absolute necessaria censemus.

III.

Loquimur autem hic de precibus dictamini

ni rectæ rationis convenientibus; huic itaque cum desiderium ejus quod impossibile est, contrarieatur, non possunt non preces veræ & rationales verum & possibile bonum desiderare, quale est virtus & felicitas humana.

*Impossible*) utimur hoc vocabulo in latissima significacione, ita ut etiam ea huc referamus, quæ cum doctrina virtutis consistere nequeunt. Spectat hoc illud iuris Consulti: *Quæ facta laddunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & (ut generaliter dixerim) contra benos mores fiunt: nec facere nos posse credendum est, vid. Papinianus l. 15. n. de conditionibus institutione.*

## IV.

Sunt igitur preces desiderium boni sed directum ad Deum, talem nempe, qualem ratio agnoscere valet: agnoscit autem Deum, qui omnia creavit & sapientissime conservat, quique omnipotens, summe bonus & sapiens est, sicuti Religionis naturalis scriptores luculenter ac uberrime jam dudum docuere. Ad quemnam autem alium dirigenda sunt preces, quam ad eum, qui hominem beatum reddere & potest, & vult? Certe de alio adiudice, ad quem homo tuto confugere & ab eo salutem sperare posset, rationi non constat.

## A 3

## V.

Preces necessarias esse affirmavimus, quod iis absque nemo vere beatus existat. Homines enim quoscunque in statu suo naturali si consideramus, miseros esse vel exinde edocemur, quia omnes felicitatem anhelant & querunt: non autem quererent aut desiderarent, si ejus jam compotes essent. Omne enim desiderium ad absentia tendit: praesentibus bonis quæstis, modo vera sunt, restinguitur & acquiescit. Ex hac tamen miseræ agnitione nondum sequitur necessitas precum; non enim sequitur, qui tranquillitate animi caret, eum oportet ut hanc a Deo desideret. Nam qui suis viribus rem, cuius indiget, acquirere potest, ut aliena ad eam obtainendam querat auxilia opus non habet: imo si nihilominus querit, ignaviæ reus fit admodum supinæ, peccatque contra dictamen rectæ rationis.

Precum igitur necessitas in eo solum modo fundatur, quod homo affectuum pravorum mancipium viribus ad libertatem recuperandam destituitur, id quod & experientia & lana comprobatur philosophia. Si enim tanta potentia quilibet

libet mortalium gauderet, ut in ipsius potestate esset absolute vel bene vel male agere, major procul dubio existeret sapientum copia quam stultorum, quorum fere omnia plena sunt. Plerique enim hominum fatentur eam vivendam esse vitam, quæ & ambitionis, & voluptatis male sanæ & avaritiæ expers sit, quam tamen non vivunt: viverent autem, nisi voluntas ipsorum majori pondere ad vitia inclinaret, quam ad virtutes.

*Sapientum* i. e. eorum, qui ex præscripto rationis vivunt, veraque felicitate fruuntur.

## VII.

Enimvero cum eadem experientia ratioque hominibus & facultatem cognoscendi miseriam suam & desiderium boni, quo destituuntur, inesse doceat, facile inde cognoscitur, nos qui hoc fatemur, neque machinam ex homine confidere, quæ nescio a quo fato moveatur, neque tamen eidem chimericam tribuere libertatem quam indifferentiæ vocant, quamque ab erroneis Gentilium Scholis acceptam defendere quibusdam Christianis placuit philosophis.

*Ineffe* eos solum modo excipio, quorum contumax malitia aut in malo perseverantia omnis boni igniculos suffocavit,

Do-

*Dicitur* si hoc ratio non doceret, sequeretur, omnes  
miseriae suæ immori oportere, quod cum Dei bo-  
nitate manifeste pugnat.

*Neque machinam* ut sententia nostra de homine non  
libero & tamen facultate agnoscendi miseriam  
suam desiderioque boni prædicto recte intelliga-  
tur, comparabimus hominem quoad statum in-  
ternum cum homine carceri mancipato & vincu-  
lis quoad manus & pedes constricto, quem li-  
berum nemo pronunciat. Supereft tamen ipsi  
facultas captivitatem suam ejusque miseriam sen-  
tiendi, emergendique inde desiderium verbis &  
clamoribus testandi.

## VIII.

Ex necessitate precum fluit simul efficacia  
earum. Cum enim ratio preces ad obtinen-  
dam virtutem animique tranquillitatem necessarias  
dicitat, necesse est, eas ita esse comparatas, ut  
finem iis optatum certo consequi possimus. Si-  
quidem ratio nihil aliud est, quam dictamen Dei  
homini insitum; Deus autem uti nihil facit, ita  
nihil dicitat frustra: preces autem omnino sorent  
frustranæ, nisi efficaces essent ad id obtinendum,  
ad quod tanquam media a ratione requiruntur.

## IX.

Oportet tamen ut sint conjunctæ cum fidu-  
cia & humilitate. Cui non confido, de eo con-  
que-

queri jure non possum, si auxilio suo me destituant. Non tamen potest non cum fiducia preces fundere, qui de Dei potentia & bonitate vere persuasus est. Imo si accurate naturam precum examinamus, nemo serio eum rogat, a quo se accepturum esse id, quod rogat, dubitat aut desperat.

X.

Non tamen omnibus, qui preces fundere solent, ea inest humilitas, quam hic requirimus. Ad hanc autem requiritur, ut orans agnoscat Deum esse ens independens, se autem plane ab ipsius nutu dependere: sic enim non audebit modum tempusque Deo præscribere, imprimis cum perpenderit, eum infinite summeque sapientem esse, qui quæ bona sunt homini melius scit, quam homines sapientissimi, et si omnium horum sapientia conjunctim spectetur. Cui vero oranti hæc inerit humilitas & acquiescentia, ejus preces aut scopum suum aliquando sortientur, aut veritas quam ratio dictitat, non amplius veritas erit.

B

CAP.

36 (10) 36

## C A P. II.

D E

*Objectionibus contra necessitatem &  
efficaciam precum, earumque  
confutatione.*

### I.

**S**i itaque verum est preces ad verum bonum impetrandum necessarias esse & efficaces, objectiones, quas alii adversus easdem in medium produxerunt, falso inniti fundamini necesse est. Adducamus tamen non omnes quidem, sed præcipias, ad easque pro virili respondebimus. Prodeat ergo primum Cotta, quem contradicentem introducit Cicero de Natura Deorum lib. III. cap. 36. secundum locum Maximo Tyriò, tertium vero seu ultimum locum Atheo cuidam concedemus.

### II.

Si itaque Cottam audimus, omnium mortalium nobis obstat consensus. Sed hac in re grayiter cum errasse jam ostensum fuit in dissert. de virtute precibus impetranda. Vnde ad aliud ejus-

eiusdem argumentum nos convertimus, quod  
Cicero hisce verbis affert: „Virtutem nemo un-  
„quam acceptam Deo retulit. Nimirum recte,  
„propter virtutem enim jure laudamur, & in  
„virtute recte gloriamur. Quod non conting-  
„ret, si id donum a Deo, non a nobis haberemus.

III.

Rationem hanc, ut mihi quidem videtur,  
partim errori de libero hominis arbitrio, partim  
ambitioni acceptam tulit gentilis Pontifex & phi-  
losophus: ille enim error Ethnicis aut omnibus, aut  
tamen pluribus communis fuit: ambitio autem  
sive *cupido glorie*, fatentibus ipsis, etiam *sapien-*  
*tibus nouissima exuitur*, quamvis vere sapientes non  
sint, qui in virtute gloriantur. *Sufficit tamen in-*  
*quis, quod propter virtutem jure laudemur.* ve-  
rum quid inde? Laudari nihil aliud est, quam  
autor bonae actionis dici: dicitur autem is ejus-  
dem auctor, qui voluntarie agit. *Quemadmo-*  
*dum igitur ille, qui facultatem bene agendi*  
*precibus impetravit, voluntarie agit, dum facul-*  
*tatem illam in actum deducit, ita', omnino recte*  
*ab aliis laudatur, etsi verus sapiens hanc laudem*  
*sibi non tribuat, eam ad Deum potius tanquam*

omnis virtutis bonique fontem sapientissime referat, huicque soli perfectam deberi gloriam, lumenissime fateatur.

*Fatentibus ipsis*) verba adducta sunt Taciti Histor. lib. IV. p. 466 edit. Plantin. an. 1581. 8. adde Lipsium ad h. I.

## IV.

Acutiora forte sunt tela militis e castris philosophiae valde gloriosi, Maximi nempe Tyrii, quibus thesin de necessitate precum peculiari in dissertatione aggressus est. Nam etiā eas tantummodo preces videatur superfluas censere, quae circa res ceteras præter virtutem vitæque tranquillitatem versantur, cum in fine dissertationis expresse dicat: *Quod si e vita tollis Philosophiam somitem ejus vivum tollis ac spirantem: tollis id quod solum precari novit: Et ad objectiōnem, quod Socrates preces suas Deo cuidam obtulerit, inter alia respondeat, quod virtutem animi, tranquillitatem vita, mores inculpatos, plenum fiducia mortem, bona præclaras & que libenter donare Dii solent, ab illis petierit; non obscure tamen innuit quod Socrati ejusmodi drecibus haud fuerit opus.* Dicit enim: *At tu,*

Her-

*Hercules preces Philosophi votum eorum, quæ non habet, esse existimas? Ego nihil aliud quam orationem esse puto, quam colloquium cum diis de bonis presentibus, testimoniumque virtutis. Accedit quod objectiones ejus ita sint comparatae, ut quædam earum etiam ipsas preces, quas nos defendimus, ferire videant.*

*In dissertatione) scil. XXX. cui titulus est: An orandus fit Deus.*

## V.

Dum enim dicit, non flecti Deum, nec humana vota perficere, nec precibus moveri, quia mutari aut penitentia duci Deo indignum sit. Omnino nostras quoque preces, earumque efficaciam videtur evertere. Certe necessarias esse negat, dum sequentem in modum argumentari pergit: *Qui petit, aut dignus est id consequi, aut indignus. Si dignus est, consequetur, etiam si non petat. Si indignus, non consequetur, etiam si petat. Nec enim qui dignus est, & non precatur, ob id indignus est quod non precatur: neque qui indignus est consequi, & consequi precatur, propterea dignus est quia est precatus. Sed contra qui consequi dignus est, nec Deo molestiam ex-*

bibet, eo dignior est ut consequatur, qui vero indignus est & molestus, etiam ob id indignus est. Huc etiam spectat objectio a providentia Dei singulari defumta: *Si singula*, inquit, *curat Deus*, ne sic quidem orandum est: id enim tale est, ac si medicamentum aliquis aut cibum a medico poscat ager. Nam si prodest, & non petenti dabit: si nocet, ne petenti quidem. Eorum ergo que a providentia sunt, nec petendum nec orandum quicquam est.

*Dicit*) vide Maxim. Tyr. dissertation. (ex interpret.

Dan. Heinsii edit. Cantabr. 1703, 8.) p. 315.

*Pergit*) pag. 315, in fine & p. 317.

*Si singula*) pag. 319.

## VI.

Vellem ut definiisset Maximus, quid sibi velit cum precibus suis, mihi enim non semper sibi constare videtur. Audiamus sequentia ejus verba. „Quodsi ad orandum accesseris Deum, „judicium intras severum & inexorabile. Nec „enim peti, quae petenda non sunt, ullus ferat Deus, nec quæ danda non sunt, daturus est. „Inquirit atque examinat singulorum preces „austere: & ad utilitatis normam dirigit tua. „Nec aditum præbet, ut vulgo fit in judiciis,

„cu-

„cupiditatibus hominum, quamvis lamen-  
 „tentur, quamvis misericordiam implorent,  
 „quamvis multum pulveris capiti inspergant:  
 „dicit enim Deus, si bona bono fine petis,  
 „bonus ipse, accipe, siquidem es dignus. Hæc  
 „si petas, nihil precibus opus est: etiam ta-  
 „cendo accipies. Supra dixit: *Deum humana*  
*vota non perficere, quia non mutetur.* Heic asse-  
 rit: *Deum examinare singulorum preces austere* &  
*ad utilitatis normam dirigere, audivimus etiam,*  
*quod putauerit, preces Deo molestas esse, cum*  
*hoc in loco sine ulla molestiarum mentione Numinis*  
*severam & auferam inquisitionem precum tribu-*  
*at, & quidem talem que nihil admittat, nisi quod*  
*in utilitatem precantum vergat.* Nec ea satis  
 coherent, quæ §. IV. jam ex eadem Maximi  
 dissertatione adduximus.

## VII.

Sed mittemus hæc, ipsasque aggrediemur  
 objectiones. Quod ad primam igitur pertinet,  
 respondeo: Homines quidem humano more in-  
 terdum de Deo loqui, eumque precando fleeti  
 dicere, nemo tamen, qui recte philosophatur,  
 hæc eo sensu profert aut accipit, qui immutabi-  
 lita-

litati numinis adversatur. Deus enim omnia ab initio ita potuit constituisse, ut hanc aut illam actionem hominis hic vel ille sequatur effectus, haec vel illa in homine ipsa mutatio, Deo ipso interim immutabili permanente. Neque ideo, quia Deus homini virtutem desideranti auxilio adesse dicitur, ulla in Deum cadit mutatio. Quemadmodum enim solis natura, dum illuminat, dumque liquefacit alia, alia induret, non mutatur; ita etiam Deus dum precantibus virtute sua assistit, non orantes autem sibi relinquit, immutabilis permanet.

## VIII.

Objectio secunda a personæ dignitate de-  
sumta facile declinari potest, negamus enim eum  
qui non precatur magis dignum esse coram Deo,  
ut potentiam virtutem exercendi ab ipso im-  
petret, eo, qui tali modo, quam delineavimus, o-  
rat. Falsum enim est, orantem Numini esse mole-  
stum. Ceterum si justitiam Dei spectes, nemo  
dignus est, ut preces ejus exaudiat summus  
rerum arbiter. Cum tamen summa ipsius sit bo-  
nitas, recte creditur eam orantibus adesse ma-  
gis, quam non orantibus, nemo enim alias in-  
mun-

mundo virtutem & beatitudinem consequeretur, quod bonitati æque ac sapientiæ divinæ non congruere putamus. *Maximus* eum tantum modo dignum censere videtur, qui virtute jam prædictus est, quod præsupponit illam hypothesin, qua homo a se ipso virtutem sumere posse statuitur, quam tanquam falsam supra rejecimus atque confutavimus.

## IX.

At inquis, si tanta Numinis bonitas est, ut singula curet, ne sic quidem orandum est, nam si prodest, & non petenti dabit. Respondeo, nolenti non sit beneficium. Bonitatis non est, cogere, sed offerre. Deus non solummodo bonus, sed etiam sapiens intelligitur; si itaque sapientiæ suæ conforme existimat, homines etiam nolentes virtutis præmio ornare, omnes eadem ornatos conspiceremus, quod experientiæ refragatur. Sufficit tamen, quod quærentibus, hoc est orantibus adsit divina benignitas, quod supra jam ostendimus, exemplumque Cornelii in Apostolorum Actis luculenter confirmat.

## Canto cum aliis X.

Qui hæc animo suo perpendit, eum instantia a Medico desumpta non remorabitur in nostram descendere sententiam. Imprimis cum alia plane relatio sit inter Deum & peccatorem, & inter Medicum & ægrotum. Deus enim nullo jure homini obstrictus est: ut taceam, ne ipsum quidem Medicum ea propter quod ægrotato medicinam responsum non ingesserit, iniustitiae reum fieri. Etsi fieri posset, dicerem, ingentem inter medicinam & virtutem deprehendi disparitatem; medicina enim quandoque etiam ægrotantem sanat invitum, & tunc vere ipsius medicina existit: virtus autem coacta nunquam virtus erit, & quidem eam ipsam rationem, quoniam non spontanea, sed coacta est.

Regeris fortè, hæc frustra Maximo Tyro opponi, cum non velit hominem a Deo ad virtutem cogi, sed solum modo id agat, ut ostendat, non opus esse, ut homo precibus Numini summo negocium faciat, cum omnia bona bonus ipse Deus unicuique offerat, modo fiduci-  
am

am afferat, verecundiamque: fiduciam quidem, quod consecuturum se credat, verecundiam autem, quod quiescat, quamvis non consequatur. Quicquid sit, non tam aliorum sententias indagare, quam objectiones, quae nobis adversari videntur, tollere allaboro. Si itaque hæc est, quam Maximus defendit opinio, aera verberat dum preces oppugnat, verbis magis, quam rei p̄sa nobis contrarius. Qui fiduciam habet sese virutem esse consecuturum, ille agnoscit sibi eam deesse: qui hoc agnoscit, aut virtutem ad beatam vitam necessariam esse p̄ntat, aut ea se carere posse perswasus est. Si hoc, seria de eo fiducia frustra prædicabitur: Si illud putaverit, non poterit non desiderio hujus boni tangi, idque ad Deum tanquam unicum veræ virtutis fontem dirigere. quod non est precum necessitatem evertere, sed confirmare.

*Fiduciam*) vid. Max. Tyr. p. m. 317.

## XII.

Gravissima quibusdam videbitur, quæ ultimum locum hic occupat objectio, ut potest ab experientia desumpta precum efficaciam

C 2                    dū-

dubiam reddere, imo evertere videtur. Fuit  
nempe nostra ætate Gallus quidam, cui nomen  
fuit Ravaillacus, homo quidem obscurus, re-  
rum tamen mathematicarum scientissimus, qui  
cum a præceptoribus didicisset, nihil pro ve-  
ro esse agnoscendum, quod non clare & distin-  
cte percipiatur & demonstretur, eo usque pro-  
gressus est, ut claram distinctam ac accuratam  
quæreret de Dei essentia & existentia demon-  
strationem, quam cum diu frustra quæsivisset,  
ad Deum ipsum confugit, ab eoque per totius  
anni spatium assiduis precibus petiit, ut de-  
monstrationem, quam invenire haut potuerit,  
ipsi revelare velit. Verum enim vero frustra-  
nea fuere hæc vota, miserque hic Gallus in du-  
biis suis magis confirmatus tandem nullum esse  
censuit, quem haec tenus, ut sese ipsi pateface-  
ret, tam diu rogaverat. Rem ipsam enarrō,  
prout eam accepi a viro quodam honesto, qui  
candem ex ore Ravaillaci exceptit.

## XIII.

Ponamus, relationem hujts Athei esse ve-  
rissimam, de quo tamen adhuc dubito; non  
ta-

tamen opus esse censeo, quare me detineri patiar, quo minus ad finem properem. Nam (1.) materia, circa quam versantur ejus preces, est res impossibilis, quoniam ut cognitio existentiae divinae sibi impertiatur, rogat (2.) expetit demonstrationem existentiae divinae ipsis revealandam, quam viribus sanæ rationis sufficientem consequi poterat. Accedit, quod valde quoque verosimile est, eum destitutum fuisse

seria miseriae suæ cognitione, & iis  
quaæ supra ad veras requisivimus preces.

## COROLLARIA.

**A**N lingua primæva sit Hebraica, multi non sine ratione dubitant.

Collectionem librorum Sacrorum Veteris Test. ab Esra factam esse nondum evictum est; quamvis

**C 3** non

non sine summa probabilitate Iu-  
dæos secuti crediderint Christia-  
norum plerique.

Temperamentum morale non  
dependet a temperamento phy-  
sico.

Voluntas, non intellectus est  
causa errorum.

Spiritus movet materiam , etsi  
modus intelligi nequeat.

Arithmeticæ , Geometriæ &  
Mechanices usus major est, quam  
Iurisprudentiæ Iustinianeæ.

Virgilius fuit Poëta melior Ho-  
mero.

Græci Neronis tempore literam  
„ pronunciarunt veluti Silesii  
Diphthongum ä.

Ci-

Ciceronis Stilus mihi non vide-  
tur melior stilo Quintilian*i*.

Boni oratoris est, ea auditoribus  
persuadere, quæ vera sunt aut ve-  
re utilia.

Nullus Historicus profanus o-  
mni fide dignus est.

Etiam Sceptici Historiæ aliquam  
tribuunt fidem.

Multitudo dissentientium non  
infirmit certitudinem principii.

Falsissimum est, adeo corru-  
ptam esse rationem, ut nihil veri  
perspiciat.





OO A 6357



f

56.

vD 18

7000



B.I.G.



4.  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
DE  
**NECESSITATE**  
ET  
**EFFICACIA PRECVM,**  
Q V A M  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,  
DOMINO  
**GVILIELMO HENRICO**  
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,  
ANGARIAE WESPHALIAEQVE ETC. ETC.  
INCLVTI ORDINIS PHILOSOPHICI  
INDVLTV  
IN ACADEMIA IENENSI  
**PRO LOCO**  
IN EODEM ORDINE  
MORE CONSVENTO  
OBTINENDO  
PVBLICO ERUDITORVM EXAMINI SVBMITTET  
P R A E S E S  
**M. GOTTLIEB STOLLE**  
LIGNICENSIS SILESIUS  
VOCATVS DIRECTOR GYMNASII HILDBVRGHVSANI  
RESPONDENTE  
**Gottlieb Wilhelm Keller/**  
VRATISL. SILES.  
ADD. NOVEMBR. AN. 1790 X III.  
IENA E,  
LITERIS MULLERIANIS.